



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Cyproamis & Justina Martyres 26. Septembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](#)

# S CYPRIANUS & JUSTI- NA MARTYRES

26. Septembris.

Ego vado & queretis me, & in pec-  
cato vestro moriemini. Joan. cap. 8

**A**N hodie suum parentes faciant, nescio,  
olim parentum officium liberi etiam fe-  
cerunt. Ita Justina à teneris annis Christianas  
leges clàm edocta, docere easdem parentes  
cœpit. Et jam per matris ad pectus patris adi-  
tum sibi fecerat, cùm hunc nutantem jam  
in partes Christianas visus per somnum ipse  
**CHRISTVS** impulit. Itaque brevi pòst mor-  
tuus pater vitam in acceptis Filiaæ tulit. Cæ-  
terùm fuit è Parnasso nescio quis Aglaïdus,  
qui oblitus Virgines esse quas colebat, Mu-  
fas, impuris amoribus extremè Justinam  
deperibat. Sed Palladem scilicet castitatis Æ-  
gide contra omnes preces & minas armatam  
reperit. Itur ergo ad Cyprianum nobilem  
tunc cum primis Magum, & Orco omnes A-  
mores contra Justinam evocantur. Sed o-  
mnes faces incestæ, omnia tela unico Crucis  
clypeo repelluntur, & totus cupidinum exer-

O z

citus

CY.

citus ab unica fugatur Diana. enim verò iras  
ci hic arti suæ, sed multò magis artis Magistro  
**Cacodæmoni Cyprianus**, hic victum palam  
se fatebatur, nuntium illi mittere, jámq; li-  
bros & in libris Venerem Vulcano dare, ipse  
**Christo & Justinæ adhærere.** Cum hac in exi-  
lium, in carcerem, in equuleum, in bullien-  
tes à flammis sartagines, ad palum denique &  
secures ivit. Itaque quando hodie Virgini Ju-  
stinæ, virum Magnum Cyprianum, hoc est  
oviculum lupum junximus, an non aurea le-  
cula reduximus? *Ex Lippeloo.*

## M E D I T A T I O.

*De tribus temporibus in quæ rejici-  
tur conversio.*

1. **M**irabilis omnino conversio Cypriani, qui reli-  
cto Magistro artis impiæ Cacodæmone, dis-  
cipulus factus est Justinæ. *Convertimini ad Dominum.*  
Cùm enim vita sit incerta, nullo non tempore neces-  
saria est conversio, ex qua pendet æternitas. Nego-  
tium salutis tanti est momenti, ut in crastinum incer-  
tum differri non debeat. *Christiano crastinum non est.*  
Tertull.

2. Esto scires te ad provectionem ætatem victu-  
rum, ac idcirco deberes tuam conversionem in illud  
tempus rejicere? quo præsenio & morbo languens

corpus

erò iras  
Magistro  
n palam  
nqueli  
re, ipse  
c in exi-  
ullien-  
ique &  
gini ju-  
hoc est  
ureale.  
corporis sanitatem duntaxat quærit, & quo pravi habili-  
us in naturam degenerarunt? cave! Deus subtrahet  
gratias. Latro in cruce modò conversus est ad Do-  
minum; sed hoc quoq[ue] consideremus, eo tempore  
convertisse se ad Dominum, quo omnes penè defece-  
rant à Domino. Et quam hæc difficilis ac miraculosa  
conversio?

3. Si conversionem tuam ad mortem distulisti,  
quomodo certus es mortem tuam non fore subita-  
neam. Quis in illo mortis articulo promisit tibi sani-  
tatem mentis? & qualis hæc pœnitentia vitia detesta-  
ri, cùm vitiis indulgere non possis?

## SS. COSMAS ET DAMIANVS

27. Septembris.

*Infirmos curate, mortuos suscitare,  
leprosos mundate, dæmones ejici-  
te, gratis accepistis, gratis date.*

Matt. cap. 10.

A Rabiam felicem esse oportuit, quæ tam  
salubrium Medicorum patria fuit. Ur-  
be Ægea gemelli nati, tres insuper habuere  
fratres, & gloriozæ mortis eosdem socios.

O 3

COS-